Bieżanowski Stanisł. Jos: Mnemosynon panegyricum immortalitati nominis Alb. Nowiejski consecratum.

MNEMOSYNON PANEGYRICUM,

Immortalitati Nominis,
Perillustris olim, & Admodum Reuerendi Dni,

D. ALBERTI NOWIEYSKI,

Philosophiæ, & I. V. Doctoris,
Ecclesiæ Cathedralis Varmiensis
CANONICI, ET CANCELLARII,
Viri æternâ memoriâ dignissimi,
ob eximiam eius in viros Literatos munificentiam,
ac præcipuè, ob insignem fundationem,
Collegij Minoris in Alma Vniuersitate Cracouieñ
Professoribus,
perpetuo censu inscriptam, donatamq;,
in argumentum debitæ gratitudinis,
posthumæq; memoriæ,

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI, Leopol. Philosophiæ in Alma Vniuersitate Cracouieñ Doctore,

COLLEGA MINORE,
officiosissimo affectu

CONSECRATVM.

Anno Domini 1665.

CRACOVIÆ,
Apud Hæredes & Succes. LVCÆ KVPISZ, S. R. M. Typogr.

IN STEMMA
PERILLVSTRIS, & REVERENDISSIMI CAPITVLI VARMIENSIS.



Cælorum Sublime decus, fæcunda virago,
  Stemma ſacrum præfert, VARMIA clara Tibi;
Deliciaſque ſuas puerum Tibi donat Iëſum,
  Sedibus ipſa tuis, quem pia Virgo locat.
Hîc ego, Diua parens inquit, mi Ieſule, claros,
  Inſigni videam cùm pietate Viros;
Hîc ego te, ſacris vt præſis cætibus ipſe,
  E roſeo ponam, paruule Nate, ſinu.
Illuſtres animæ, vobis hæc gratia facta eſt;
  Præſide quòd tanto veſtra corona micet;
Quem niſi maternæ retinerent brachia dextræ;
  Otius ad Veſtras curreret ille manus.

Perillustribus, Reuerendissimis, & AdmodumRndis Dñis,

Dñis PRÆLATIS, ET CANONICIS,

ECCLESIÆ CATHEDRALIS VARMIENSIS,

Dñis & Patronis amplissimis.

IMmortalis mortalium animus, cum multa Diuinitatis, in se vestigia, cælestisq́ suæ indolis, velut natiuas quasdam dotes habeat; tùm nihil excellentius, diuiniusq́; quàm quòd, per erogata beneficia, in aliorum vsus prodire, immortalemq́ acceptorum beneficiorum memoriam, solus conseruare possit. Vt enim beneficentiæ originem atq́ mensuram, solâ animorum magnitudine, propensioneq́ metimur; ita pro acceptis beneficijs, nihil in censu veræ gratitudinis computari potest; nisi quod, eâ parte hominis, qua immortalis est, continetur. Habet enimuero lucida hæc mentium nostrarum portio, suos, quibus in apricum prodeat, erumpatq́ radios: habet fons iste gratiarum limpidissimus, suos, per quos deriuetur canales: contineriq́ non potest, aurea hæc gratæ recordationis fodina; quin in superficiè quoq́ vestigia sua, notasq́, bonæ mentis indices, relinquat. Cogitarunt hoc idem Academicæ Musæ nostræ: cumq́ intellexissent, vt magnæ cuiusq́ lætitiæ; ita & gratitudinis, nisi spatia inueniat, cor humanum, angustum carcerem esse; non quod immortalis illè spiritus, quo intus agimur, vtriusq́ capax non sit; sed quod hæc omninò prodire, atq́ magnitudinem suam, per communicata solatia, alleuiare velint: iustissimum proinde illis visum est, magni, quo tenentur, affectûs, grataq́ memoriæ necessitatem, cùm luce publica partiri. Si etenim piè defuncto, Perillustri olim & Admodum Reuerendo Domino, ALBERTO NOVIEYSKI, CANONICO VARMIENSI, *Viro æternâ memoriâ dignissimo, non suffecerat; Almam Vniuersitatem nostram, cordi semper, atq́ in præcipua maximi affectus parte habere; nisi amplissima fundatione,* Collegij Minoris Professoribus, *perpetuò censu inscriptâ donatâq́, id ipsum testari voluisset; nec Musis profectò nostris sufficere debet; beneficij huius insignem gratiam, animo recolere, venerariq́; nisi eam publici quoq́ iuris facerent, & in orbis facie profiterentur. Census enimuero hic gratitudinis nostræ primus,* immortali NOWIEYSCIANÆ gloriæ, *omni iure debitus, Vestris potissimum,* Perillustres & Reuerendissimi Dñi, *amplissimis nominibus inscribi, consecrariq́ debuit. Sacer quippè Palladis iste cultus est; cumq́ ex virtutis & Sapientiæ meritò processerit; illi potissimum ærario inferendus erat; in quo preciosissimis hiscê clenodijs, summis nempe virtute, & Sapientiâ Viris, dilectus ab antiquo locus, honosq́. Hoc enim illud est,* Perillustre & Reuerendissimum Capitulum Vestrum, *cum omnium virtutum; tùm præcipuum quoddam veræ sapientiæ domicilium, imò & delicium; in quo, ad hanc vsq́ diem, vetus illa eruditæ gloriæ, dignitas atq́ maiestas, integerrimè conseruata, tripodem hîc Phœbi depositum arguit; ex quo sapientissimi pectoris oracula, continuatâ summorum Virorum*

ſucceſſione, depromantur: ceu nefas ſit, poſt magnos illos Hoſios, Cromeros, Copernicos, & alia conſumatæ ſapientiæ nomina, quenquam hîc; niſi ex corona Palladis, adytiſq́ Sapientiæ, ſublimari. Cùm verò, beneficium hoc, quod in nos NOWIEYSCIANA *manus; raro hac ætate exemplo, contulit, ex hoc potiſſimum fonte,* Perilluſtris Capituli Veſtri, *in quo non ſatis quidem naturæ; ſed ſatis gloriæ vixit, profluxerit; vt in eundem, iuſto gratitudinis debito refluat, eſt neceſſe; cum & vltimæ voluntatis ſuæ Executores, ſupremis tabulis, ex hoc* Perilluſtri Capitulo *eſſe voluerit;* Perilluſtrem *nimirum &* Admodum Reuerendum Dominum LVDOVICVM FANTONI, Eccleſiæ Cathedralis VARMIENSIS DECANVM, & Collegiatæ Varſauienſis Cuſtodem &c. &c. Et Perilluſtrem ac Adm̃ Reuerendum Dñum ANDREAM GLAZNOCKI Varmienſem, Pultouienſemq; Canonicum, *Viros omni exceptione maiores, ſummâ animi Virtute, auctoritate, literarum præſtantia, atq́ in Eccleſiam Dei meritis longè Digniſſimos; per quos, aureo hoc beneficij ſui imbre, caſtis Muſarum manibus excipiendo, aſſeruandoq́, non irrorare nos tantũ voluit, ſed planè inundare. Auguſtã itaq́, ac velut natiuã domũ ſuam repetit, producta in orbis faciem* NOWIEYSCIANA *liberalitas: dum in* Veſtro Perilluſtres ac Reuerendiſſimi Domini, *tot elogijs coronato, omniumq́ quas ex virtute, & ſapientia, ſummi quiq́ Viri conſecuti ſunt, laudum capaciſſimo ſinu, deponitur. Redit nimirum ad originem ſuam; gaudetq́ immortales, quas meruit gratias, præcellentibus animis Veſtris primo offerri, dicariq́: vt quomodò à Viris eruditis excepta ſit; quantumq́ ad perennis gloriæ decus, munifica in eos manu profecerit, in tanta ampliſſimi conſeſſus Veſtri Luce appareat. Sed & Muſæ quoq́ noſtræ,* NOWIEYSCIANÂ *Munificentiâ dotatæ, in parte felicitatis ſuæ reponent; quod hac occaſione, ſplendidiſſimam gloriæ Veſtræ faciem, è propinquò impenſius, venerari; quantumq́ operi ſuo, ad promerendam lucis publicæ gratiam, eruditi nitoris deeſt; ex tot luminum, tantiq́ ſplendoris concurſu, ad abſolutæ lucis claritudinem, ſupplere poſſint. Fauebitis itaq́* Veſtræ Perilluſtres, ac Reuerendiſſimi Domini in NOWIEYSCIANA Panegyri, *ad immortalitatem nominis propagatæ gloriæ; eoq́, quo ſuperſtitem amico fouiſtis pectore; poſthumâ celebritate decorum, meritoq́ ſuo in exemplum ſeræ poſteritatis prodeuntẽ, excipietis: quod vt* NOWIEYSCIANO *nomini glorioſum; ita & Reipub. noſtræ literariæ perquam honorificum; omnem deinceps conſequentium ætatum memoriam, Veſtro in* NOWIEYSCIVM *amori, & in Muſas noſtras patrocinio deuinctam, conſecrabit.*

Perilluſtrium Reuerendiſſimarum, & Adm̃ Rñdarum Dñum Veſtrarum,

Obſeruantiſſimus

M. STANISLAVS IOSEPHVS BIEZANOWSKI,
Philoſophiæ Doct. Col. Min.

MNE-

MNEMNOSYNON
PANEGYRICVM.

PAlladias nondum ſæclorum ferreus ordo,
Arctoæ Nemeſiſq; plagæ, ſtrictuſq; tot annis
Extinxiſſe artes potuit, Mauortius enſis.
Muſarum cæleſte genus; feralibus vrnis,
Regnorum Mauors, ſæuus Veſpillo cadentûm
Haud vrget; nataſq; dijs mortalia rerum
Iura pati, ſæuaſq; vices, vitæq;, neciſq;
Sacrilegum nouiſſe putat. reuerentia Diuas
In medijs, cultuſq; ſacer non deſerit armis.
Tota licet terræq; grauis, pelagoq; timenda,
Effuſæ moles Aſiæ ruat, impete vaſto;
Bactraq; cum populis, Indum, Gangemq; furenti
Euphratem, Tygrimq; rapax cum Perſide voluat,
Helleſpõtiacis gemat eheu Orbis in vndis;
Attica ſola truces inſani Principis iras,
Caſuramque breui ſuſtentat, Marte ſtupendo,
Eoæ maculam terræ, infameſq; ruinas,
Cor ſapiens validis opponens viribus; & tot
Inconcuſſa malis; quidquid vis barbara ferret
Conſilio maior, modicis felicior armis,
Docta ſuas reparare vices. nec Palladis vnquam
Imperium, Phæbiq; decus, Muſaſq; cruentis
Artibus extinxit, Latio quoq; victa Gradiuo,
Deſiit haud ſapiens dici, Muſiſq; fauere;
Victricemq; Orbis domuit ſapientior Vrbem,
Cum docuit. Victis reuerentia ſemper Athenis,
Atq; ſuus durauit honos. hæc portio rerum
Vnica, nempe dijs ſimilis, potiorq; triumphis
Omnibus, inuicti Sapientia pectoris vmbo.

Solus in humanis, populi nil arma moratur,
Diuinus Phæbi genius ; qui nulla trophæis
Argumenta dedit; nunquam cum milite cincto
Impleuit spolijs vrbem; pauitque iocantûm
Errantes oculos, ducto per compita fastu ;
Mansuetis animi studiis, Bessumquè, Thracasq;,
Barbaries sæuoquè aliquid si nomine peiùs
Hircanis aluit scopulis, sine sanguine vincens.
Sarmata si nunquam grauius sua fata, vicesq;,
Atq; nouercales animos Mauortis iniqui
Sensit, in arma ruens toties, armisque sepultus;
Masculus heu animo, sed dispar sorte, minorq;
Interdum visus, quo surgeret altius Orbi :
Non tamen in Martem totus, sæuasq; furentis
Bellonæ curas abijt. micat aureus, inter
Cristatos apices Galearum, tantaque ferri
Pondera, Bistoniosquè arcus, tristesquè sarissas,
Phæbigenum splendor, Musarum gloria, mensq;
Mascula Palladij cætus. quam nulla fatigat
Irrequieta mali series; quin tersior inde
Ingenijs acies, & vis robustior aucta.
Et sapere, & pugnare docet, duratus in omnes
Fatorum leges animus, casuquè sub ipso
Consilium, viresquè capit. nec sustulit omne
Mars pretium Musis; censum, famamq;, decusq;,
Accessu maiore feret, sors æqua Togatis.
Partibus Arctois, Musarum Lumina quondam
Serius affulsêre quidem; sed longius æuum,
Et solidos actura dies, quod sæcula vasto
Circuitu, cultusquè animorum, tantaquè Phæbi
Bellaces inter populos, monumenta loquuntur.
Ast regum trabeatus honos, & purpura princeps,
Heroumquè animus, ductæq; á sanguine prisco,
Quod pretium doctis, seruent, stirpesq;, domusq;
Quouè loco Musas habeant, vox pulica narret :
Sufficit ad laudes, non succumbentis in orbe
Sarmatico, belli medijs ardoribus, inter
Dardanio cineri similes flammasque, dolosq;,

Musa-

Musarum coetus, victuri semper honoris;
Vna, sed ampla manus, doctis dignissima fastis,
Milleq; digna Cedris; manus o dilecta NOWIEYSCI!
Digna, Togatorum series cui tota laboret,
Concordes iungatque manus. nam sola meretur,
Quidquid habet Charitumque lepos, dulcedoq; Cyrrhæ,
Quidquid honorato conseruat gratia censu,
Atque secuturis transmittit gloria sæclis.
Sufficit hoc nomen, quod lamentabile Martis
Vindicet, & confundat opus, quo vita, decusque
Surgat ab extremis terrarum partibus, & quo,
Incorruptus honos, Musis seruetur, amorque.
Huc agite, o quæcunq; Virûm certastis honori
Ingentes animæ vatum! cur plectra moramur?
Hæremusq; animo dubij? pulcherrima laudum
Aut hæc, aut nunquam veniet Messisq;, segesq;.
Multa per ætatum seriem, seu forte vetustis
Temporibus, seu nata recens exempla Virorum,
Publica res populi sapientis, & inclytus ordo
Vidit, & in fastos retulit; quêis larga refuso
Dextra, per Aonias rupes inclaruit auro.
Augustos, Titosq; sinam, Macedûmq; Philippos,
Niliacos regum, doctæ Memphisq; stupores,
Corcula doctorum Alphonsos; quos publica famæ
Sceptrorumquè canit maiestas, diuite censu,
Musarum fouisse decus. sed Cæsaris isthæc,
Et de tot populis, gazarum quantula pars est?
E facili ueniens, impensaque sæpius altis
Nominibus, propriosq; magis, quàm Palladis vsus
Respiciens, dum fœnus amat, calamique tributa.
Munificæ virtutis apex, speculumq; NOWIEYSKI
Omne tulit punctum; non turgida nominis ampli
Lucra, per effusæ quærens spectacula dextræ;
Nec vinctas animis, vectigalesque Camænas;
Queis grauior moles incumbat, duraquè magnis
Sub titulis benefacta gemant; sed maximus illi
Virtutis fructus, rerum pulcherrima virtus,
Ipsa sibi merces, spectator, & ipsa theatrum.

Non

Non ſudata alijs, nec quæ cum ſanguine multo,
Extorſiſse timor potuit, mordaxq́ue poteſtas:
Nec quæ peruigiles, vino, ſomnoque ſepultis,
Ferre laborantum curæ, fractiq́ue lacerti
Seruili ſub mole ſolent; non parta dolosis
Artibus, aut animo ſecum luctante relicta:
Sed quæ magnanimæ mentis, verique laboris
Condiderat Muſis pietas, dilectio, candor,
Sollicitus grati quod ab illo pectoris ardor,
Magnaq́ue poscebat Craciæ reuerentia Matris,
Affectu totoque ſinu, atq́ue ex viscere cordis
Ante preces, & vota dedit; digniſſimus omni
Votorum ſeriè, quamquam ſuper omnia vota,
Humanaſq́ue vices, celo felicior iuit.
Flexerat huc auguſta ſuæ veſtigia vitæ,
Immortale aliquid ſpirans, maioreq́ue dignum
Cenſeri precio; vel tum, ſub flore iuuentę,
Eligeret cum fortè Craci primæua, ſub axe
Egelido, Lechicis erecta palacia Muſis,
Atque coronatum fontem ſtudij, prope ſacram
Vaueli rupem; quo ſe viuacibus vrsit
Indolis egregiæ ſtimulis, lectiſſima magni
Vis animi, lucisque capax, & amica togatæ.
Excepêre ſinu roſeo Parnaſſia Diuûm
Numina, præcipuas dotes, & amabile pectus,
Ingeniumque Viri ſumnum; quod Pallade docta
Impleuit feruor ſtudij, vigileſq́ue lucernæ.
Omnis in hunc animum, docti ſapientia cordis
Immigraſſe, pariq́ue gradu diuerſa ſciendi
Felici genio, viſa eſt momenta dediſſe;
Flos tamen eloquij, ſuadæ nectarq́ue diſertum,
Neſtoreumq́ue decus, præcunctis celſius illi,
Et validæ calami vires; quas Tullius ipſe,
Atq́ue Pericleus dederat ſenſuſq́ue, vigorq́ue.
Scilicet ad fontem Romani nectaris, illum
Conſilio, nutus ſuperûm direxerat alto;
Cum RIBKOVICII hauſiſſet florentibus annis,
Attica mella ſtyli; fælix, & nominę tanto

Dignus, honoratâ præceptorisquè coronâ.
Hæc illi dilecta manus; cui lilia plenis
Fuderunt Musæ manibûs, cui gloria princeps
Maiestas linguæ, & calami. sub iudice tanto,
Creuerat exactæ sensim facundia suadæ,
Erupitquè palam; quoties augusta Lycei
Rostra Iagellonici poscebant, lucis in auge,
Atquè coronato cætu, mox nobile fandi
Ex voto successit opus, sic laurea duplex,
Ornamenta animi, meritum Virtutis, & artis,
Insigni, partoquè diu præcinxit honore.
Ilicet excelsæ mentis, maiore theatro
Ardebat genius spectari; iamquè labores
Materiem poscit meriti, renuitquè teneri
Lux animi, quo se magis explicet. ergo secundis
Prouehitur votis, quo se Lubranscia Posnæ
Musarum sedes, arcanâ sorte vocabat.
Iturum maiore gradu, carissima suadæ
Sparta virum excepit; nunquam felicius aucta
Eloquij studio; quàm cùm mellita diserti
Impleret Cathedras Vox, & dulcedo NOWIEYSCI.
Huc Lechicæ pubis series lectissima, flosq;
Sponte ferebatur, suadæ sapientis amore;
Herculeâq; viri, riguo ductâq; metallo
Corda, animosq; rapi voluit, duciq; cathenâ.
Magnatum ex voto; quos inter maximus ille,
Ingenij censor, Musarum gloria, amorq;,
Iudicio summus, calamo tersissimus omni,
Phæbi flos, & apex OPALINIVS, inclyta quem tunc
POSNA Palatinum, Lechico spectauit in Orbe,
Pulchra Iagellonico cum lilia iuncta maniplo,
Magnus Hyperboreas Legatus ferret in Oras;
Hac acie, summiquè viri dum mente probatur,
Eligitur, pretiosa Domûs, qui pignora tantæ
Orbe peregrino ferret; dignissimus illo
Iudicij sensu; cui respondere secundis
Par erat auspicijs, tantiquè Herois ad vnguem.
Lustrati populi, gentes, vrbesquè remotæ,

Europæque ſinus melior. pulcherrima rerum
Obſeruata animo prudenti; velleris aurei,
Iaſone cum tanto, felix Opalinia nauis
Circumfert gazas, & auiti ſanguinis ingens
Delicium; panſiſque redit ditiſſima velis.
Vix ea Sarmatiæ fines, caroſque paterni
Liminis, exacto repetens ſua gaudia curſu,
Acceſſus tenuit, reduci cum laude recepta;
Virtutem tantam, pectuſque fidele NOWIEYSCI,
Inſigniſque operæ meritum, mox cæpit amico
Veſtigare gradu, ſenſimque ad maxima ferre
Pulcher honos; magni dum Præſulis aureus ille,
Ille ſacer Muſis animus, dilèxit; & alto
Pectore complexus, titulis, & honore ſacrato,
Inſignire virum voluit; ſic cælitus illum,
Diſponente Deo, quo noſtris condita rebus,
Surgeret ex tantis melior fortuna coronis.
Pro! quantum Tibi magna Craci, ſapienſq; Palæſtra,
VENCESLAE Comes de Leſzno, gemma virorū,
Archique Præſuleæ ſublimis gloria mitræ,
Summus apex Lechici, Primas, Princepſq; Senatûs,
Nominis, & laudum, victuro carmine debet;
Varmia Pontificem quód cum te clara teneret,
Ad Cathedræ decora alta Tuæ, gremiumq; vocare,
Hunc ſis dignatus, ſacri ad ſubſelia cætûs
Iudice Te, quis enim non ſummi nominis? in quē
Prona Tui ſenſus, viſa inclinaſſe voluntas;
Dum tanto ſplendore viros, cenſuque coronat;
Doctrinæ pretium fecit; Cracidoſque togatæ,
Grande Boruſſiacis in partibus auxerat inde
Nomen, honorata clarum virtute NOWIEYSCI.
Namque bonas artes, Phæbeaque pectora, ſolus
Paſcit honos, ſeruatque decus, meritumq; virorum;
Quantumuis curæ ſteriles, ieiunaque paſſim
Sint exedrarum ſolatia; viuimus vno
Ære coronatæ laudis; quod tædia mille
Exhauſtaſque animi vires, & maxima ſoluit
Pondera difficilis Stoæ, partuſque moleſtos,

Feli-

Felices sed enim curæ, Musæque NOWIEYSCI
Præsule LESZCZYNIO; quarũ dũ consulit amplis,
Muneribus, stimulis animos viuacibus vrget:
Materiemque viro, largæ in sacraria Phæbi,
Munificæque manus, fortunæ dotibus offert.
Vtitur his sapiens animus; sed dispare voto,
Quam ferat insipiens cæci sententia vulgi,
Corporis infames, aut prauæ mentis ad vsus,
Illecebrasquè animi seruilis, & impete solo
Præualidi, quò sensus amat, sine lumine ferri.
Sed nec auaritiæ quæstus, turpesq; peculi,
Atq; venenatos partus, & vincula cæca
Gazarum, fedamquè sitim, sordesquè pudendas.
Vera vnquam patitur Sapientia; libera semper,
Ipsa potensquè sui. nec Midæ sordida votis,
Tantaleaquè fame; quidquid seu promit in vsum,
Prouida seu condit, generoso destinat actu,
Communi seruire bono; ditissima, cum se
Tota alijs impendit, opes, & commoda linquens.
Felix, quæ in similes sors aurea pectoris alti
Inciderit dotes; sit quantumcunque redundans;
Compositis fluet illa modis, cedetque futuri
Temporis in meritum, censu post fata superstes.
Qualis in egregiũ, cecidit fortuna NOWIEYSCI,
Magnanimi cordis specimen; prænobile quippe
Nacta Viri pectus, quidquid congessit in vnum:
Omnibus vna manus, diducto viscere fudit.
Illa manus, cuiquidquid habet seu forte pelasgus,
Seu Lacialis honos, seu quæuis Pallas in orbe,
Emeriti laudum census, cultusq; perennis,
Grataque posteritas longissima sæcula debet.
Illa perennantes fastos Tibi clare NOWIEYSKI,
Scribet, & effuso nomen Tibi ducet ab auro.
Iamque Togatorum scriberis pectore totus
Aureus; ad calamosque venis meliore metallo
Ductus, & æternum Cracijs pretiosus Athenis.
Non poteras aliâ tantum clarescere famâ,
Aut alibi tanto Mecenas nomine dici;

Inter Apollineas quám cum Te viuere laurus,
Pectus amans nostri, victuro munere fecit.
Cura Domûs nostræ Tu maxima nempe deinceps,
Cui placuit curis mordacibus, inclyta Phæbi
Corda, grauesq; animos absoluere. iamq; vacabit
Liberius per te; non succumbentia crebris
Fortunæ vicibus, nec tristi obnoxia luctæ,
Erectæ mentis fastigia tollere: quo nos
Prouocat ad summum, rerumq; per ardua poscit,
Consummata decens cathedras sapientia, virtus,
At Tibi terra leuis, molli vernansque roseto,
Spiret, odoratam Sephiris perflantibus Hyblam,
Ad tumuli monumenta Tui; quantumquè beatis
Cœtibus, innocui mens candida pectoris haurit
Lætitiæ, quantumquè mera dulcedine viuit,
Auctori coniūcta suo, fontiquè bonorum;
Corda Sophûm votis quod suspirantibus optant:
Tam sit amica Tuo cineri tellusquè, quiesq;;
Virtutemquè Tuam veneratio tanta sequatur,
Ex meritis deducta Tuis: ô nobile sæcli
Delicium nostri, lux, exemplarquè futuri!
O Mecænatum stimulus! noua portio priscæ
Virtutis, largæquè manus! venerabile Musis
Nomen Academicis! quarum Tibi tòta deinceps
Surget in obsequium laudis, gratissima tanti
Muneris, affectusquè memor, vis intima cordis.
Hæc Tibi mansurum, sæclorum lege perenni
Condit opus, sudatquè manu formare togatâ;
Quod de Te pulchrum teneat, seroquè referre
Orbis amet, curetquè sequi. sic aureus ibis,
Sarmaticoquè legi nunquam cessabis in orbe,
Hoc super aurato molimine; quod Tua struxit
Aurea munificæ pietas rarissima dextræ.

COLVMNA AVREA,
Virtuti, & Meritis,
Victuræq; æternùm NOWIEYSCIANÆ gloriæ,
in Capitolio immortalitatis
E R E C T A.

Ad ſummam gloriam
Vt non omnibus idem ſtadium ; ita nec omnium eadem metæ columna.
Varius hîc currentium flexus ;
cum multas Olympiades numeret, pauciſſimas vincit.
Impegerê multi ad ſaxum citra columnam ; feceruntque terminum, ante metam ;
quorum mens, antequam currerent, dum præuolat, offendit.
Mercurij talaria non ſemper amauero ;
interdum multi cum Philotæ plumbo, longiùs proceſsêre.
Acerba omnis præcox ante metam Victoria ;
fructum ſuum, ceu malum inſipidum, non parit, ſed proijcit.
Habent Atalantæ ſuos Hyppomenes ;
nec ad lapidem tantum offenditur ; ſed aurum quoque in offenſo pede ægrè prætereas.
Ad veram tamen gloriam,
mordaciſsimo etiam Pœnorum Ducis aceto, ſaxeum iter frangendum eſt.
Quid ita ?
nempe vt fortunæ ſuæ quiſq; faber ; ita & gloriæ eſſe debet.
Columnam certe non meruit ;
qui tantundem in vita, ad columam gloriæ, viæ confecit ;
quantum in Campo Martio Obeliſcus.
Optima mortalium portio, ſemper ad immortalia gradum promouet ;
quo quiſquiliæ hominum non feruntur, niſi efferantur.

ſed o !

Diuerſa hominum ad veram gloriam tendentium, veſtigia !
Vocalis Argo, cum multos huc Iaſones deportauerit,
Veſtigia ſua non loquitur.
Ad vaſtum hoc gloriæ emporium,
cum nec quà expedit, nec expediti feramur ;
fatigamus potius vias ; quàm facimus ;
Votorum pleni, animo turgidi, ſpebus onuſti.
Camelos recte dixeris,
qui ad onera ſua dum incuruantur, genua flectunt.
Orientem hic, Occidentem ille, alius Perſidem, Ægyptum alius,
imo vnus, interdum hæc omnia, nimium lacertoſis viribus ambit.
Putaſne hunc ad columnam veræ gloriæ peruenturum ?
qui tantum terrarum, in tumulum ſuum tempeſtiuè congeſſit, & portat,

Titaniam ego pubem, Enceladumq; crediderim:
Qui quoties detrectat onus; tunc insula fundo
Clau. vellitur, & dubiæ nutant cum mœnibus vrbes.
Sola, veræ gloriæ iter hoc,
â calce ad columnam, in expedito habet;
quæ sola cursum suum nec præuolat, nec impedit,
Virtus, & Sapientia.
Augusta hæc nomina, an Numina dixi?
digna certè, quibus orbis vniuersus assurgat;
Cui sola hæc, rerum immortalium rimula est.
Si aliqua Deorum in terris semita;
non alia certè; nisi quà per virtutem, ac sapientiam, ad veram gloriam itur;
raris quidem vestigijs; sed solidis.
Aurea hæc, viris ab aureo æuo arena,
quoties in offenso pede decurritur; columnam Mempheos auream,
pro Coronide habet.
Marmora, Parijque lapides, quorum bona, famamq; dilapidant;
eorum vanam ad saxum gloriam allidant, eludantq;;
quibus ne regum quidem filios, ad Obelisci fastigium, dum tollitur,
appendere cordolium est;
Vt [illegible]ntillum famosi operis impendium, tanto dispendio assurgat.
Portenta hæc Operum,
ipsa nobilissimi sui operis architecta,
Virtus, & sapientia non curat.
Quidquid gloriæ habet non tam vastum; quàm pretiosum,
Vere solidum, pondusq; habens, sine tinnitu, & fastu,
nempe aureum est.
Auri sacrâ fame, nunquam contabuit;
nec in aureis nummorum aceruis, cum Caio Cæsare volutata,
Inanem lætitiam quæsijt, quam veram semper habet;
nimirum ex conscientia,
quæ cum bona sit, iugis lætitia est.
Victricem aureæ famis, infamisque cupiditatis,
Aurea columna decet.
Ergo
Virtuti quoq;, & Sapientiæ NOWIEYSCIANÆ,
non alia moles assurgat.
Virum ab aureo æuo, cum ferrea ætas inuenerit;
qua-

qualem inuenit, posteris reddat.
Vitæ ipsius, doctrinæq; stadium, ad auream certè columnam deductum est.
in aureo sinu Almæ Matris, Academiæ Crac,
auream mentem, ætatemquè dum format;
primam Deo, & pietati, auream cordis ædiculam excidit;
Quidquid deinceps virtutis, & sapientiæ accessit,
in hoc primum metallum transijt.
Os eius, & calamum, suada disertissima, cum occupasset;
Aureum fecit.
Aurum fluminum optimum, si vnquam credi potuit;
Ex eius certe Tulliano, oris & calami flumine, purissimum exijt.
Quam sincerum, probatumquè fuerit;
quibus sexennio prope, in Collegio Lubransciano, Pactolus hic fluxit,
Aurea Maioris Poloniæ pectora loquantur.
Censuræ huic, si cætera desint;
duo ingeniorum Lidij lapides, ipsi quoque verè aurei, Illustrissimus nempe
& Reuerendissimus PRINCEPS VENCESLAVS COMES de Leszno.
ARCHIEPISCOPVS Gnesn, Primasq; REGNI,
& Illustrissim⁹ olim CHRISTOPHORVS de Bnin OPALINSKI,
Palatinus Posnaniensis, satis superquè sufficiunt.
Nemo vnquam aurum igni purius excoxit;
quàm ad horum summum iudicium; Viri aurei probati sunt.
Tantis ingenijs, ex ingenio placuisse, crysim omnem superat.
Perspicacissimus illis animi oculus,
in bonis quibusque, & sapientibus viris auream mentem, etiam in abdito vidit.
Modestissimum NOWIESCII pectus,
quantacunque dotes suas vmbra tegeret; Soles hos effugere non poterat.
Multi sunt, quorum ostentator animus,
Si quas habet aureæ mentis lacinias, in propatulo gestat;
quas formicæ, aut gryphes, vt in Scythia aurum, facile eruant.
Sed apud optimos, occultissimæ aureæ mentis venæ;.
quas bono publico non inuident; sed conseruant.
Inuestigauit eas in pectore NOWIESCY,
Scrutator bonarum mentium, Sapientissimus Præsulis LESCZYNII animus;
decorumq; censuit, optimum metallum, in candelabro Ecclesiæ collocari.
Aureis olim statuis, in Capitolio sedes potissima;
Nunc aureis viris, in cathedralium Ecclesiarum Capitulis.

 inter

Inter quæ,
Sacrum virtutis, & ſapientiæ Gazophilacæum,
Perilluſtre Capitulum VARMIENSE,
quemcunque in conſortium magnarum mentium recepit,
de eo iure dixeris; Caput eius aurum optimum.
Selectiſſima quippe,
in hoc Sacrarium, omninoquè aurea vaſa inferuntur.
gemmeas ego Darij arcas dixerim; in quibus non ſola diuina Homeri Muſa;
ſed pretioſum, vniuerſa cum Pallade, virtutis depoſitum ſitum eſt.
Inter hæc cimmelia,
Aureum NOWIEYSCII caput, pectuſquè collocari debuit;
aſſeruandum Muſis, ex quarum aurifodina prodierat.
Et redijt ſane, ſed cum auctuario.
Muſas, alioquin generoſiſſimas, ſemel in hoc caſu, fœneratoriæ artis non pænituit.
Commodarunt bono publico Virum optimum;
receperunt aureum.
Adhucnè miramur?
quod columnas aureas moliri poſſint:
ipſe magnificas fecit, qui dotauit, ditauitquè.
Stabit hæc aurea moles,
Aureâ Neronis domo felicius, auguſtiuſquè.
Orbem illa ſpoliauit, vrbemq; abſumpſit, vt aurea fieret.
Orbē hæc NOWIEYSCIANA gloria implebit, dū aurea ſurgit.
Vel ex hoc ipſo felix;
quod è ſeneſcentis mundi ruderibus, aurei ſæculi ramenta vindicet.
Ita non ætatum, ſed hominum vitio fit;
quod Sæcula, in deterius metallum ſenſim, ac tandem in ſcoriam degenerent.
Ferrum ætatis noſtræ,
ipſi infelices, efferatiq; Cyclopes, mala animi incude, cudimus,
Æuumquè, quod ſub manu noſtra eſt,
Duros opifices, durius excipit.
Nimirum
animorum fodinis, ſæculorum metalla eruuntur;
Viros certe NOWIEYSCIO ſimiles,
Vnumquodquè ſæculum, ſi produceret;
Nulla non aurea ætas, eaſdem in elogium ſuum traheret,
quales & ipſe noſtras fecit,
LITERAS nempe AVREAS.

CO-

COLVMNA AVREA II.

Eximiæ in Viros literatos

LIBERALITATI NOWIEYSCIANÆ,

In perpetuum grati animi MNEMOSYNON,
in Atheneo Palladis aſſurgens.

Operoſas moles liberalitati ponere,
intempeſtiua forte curarum moles eſt.
Virtutum omnium pulcherrima, laborantium diſpendia fallit;
cum omnia diſſipet.
Quidquid in eam congeſſeris, fluminũ ritu aliò deportat.
Robuſtiſſimis aliàs Viribus,
Sola manuum impotentia, ſæpius conflictatur.
Infantem diceres,
ita nihil non in manibus ambiguum, tremulumquè;
gaudet, cum exciderit.
Manus illi tornatiles aureæ,
cum omnia in lubrico habeant, rotentquè;
plenæ tamen ſunt;
nouo rerum ordine, diuites inopeſquè.
diſſipare tamen, ceu ex pacto ſolita,
aliena gaudia Solidiſſimâ compage firmat.
Putares eam ad Latumias damnatam;
Vt alienis vſibus, dum metalla cædit; terrarum viſcera ſubeat, ſua effundat.
Ad mala Heſperidum aurea, Draco excubans,
nunquam alienas opes, tam inſomnis defendit;
quam illa, vt de ſuo alijs proſit, inuigilat;
Centocula ſemper, viderequè prônior, quàm videri.
prima tamen in oculos omnium incurrit; in cuius vere oculatas
manus, omnium oculi feruntur.
Cæteræ uirtutes, maieſtatem ſuam ſeuerius tuentur;
Hæc ſola popularis, bono publico facile eam impendit;
cum mundi oculo, tantò ſplendidior; quantò communior.
Cum & ipſa Numinis maieſtas, quanquam venerationi vbiquè expoſita,
omnium ſacratiſſima ſit.

Auream ergo illi columnam,
merito suo, debito nostro, ponimus.
Magna illi cum hoc metallo consensio;
sed nec minus in auaritiam odium.
nempe vtraq; auri magnes est; hæc vt teneat, illa vt dispenset.
Sordidissima omnium, cæcaq;,
cæcum in carceribus Plutum, dum seruat auaritia;
clauem Diuæ huius auream, nunquam effugit.
Conclusisset iam omnia naturæ beneficia, vno carcere;
nisi cæca in centoculam, talpa in lyncem incidisset.
Regale profectò virtutum omnium,
Diuumquè cæleste genus est liberalitas;
Diuinarum virtutum non vmbra, vt cæteræ;
sed Imago.
Illa potissimum, quæ in sapientiæ coronam, dotemq; abit.
Caius Princeps, omnium prodigorum ingenia vicit;
Vtinam propter ingenia!
qui denis aureorum millibus, in singula aleæ puncta lusit;
non infamasset lusum, si hæc in Palladis, non pertusi fritilli ludo, decoxisset.
Idem cæteris ingenium,
Qui cum Antonio, auro ad vilissima ministeria abusi,
naturæ opprobrium cum fecissent;
ad sola eruditorum præmia, solatiaquè eguerunt;
Dignissimi,
quibus Mithridates, vt olim Aquilæ Duci Romano, aurum in os infundat;
Spurcamquè cordis ingluuiem, suismet cupedijs enecet.
Barbam Æsculapio auream, Dionisius abstulit;
Fecisset idem Appollini;
nisi tempestiue prouidens, imberbis esse maluisset.
Putet aliquis,
Securam Delphis, Gorgiæ Leontini auream statuam,
Si dijs sapientiæ Præsidibus, ne auream quidem barbam, tutò alere licet.
Fuere tamen, nec deerunt unquam:
qui Palladem, ictu ferreo laboris natam,
Aureo honoris sinu excipiant.

Sapientia quidem,
ædificauit sibi domum, exciditquè columnas septem;
sed adlaborauit quoquè nobilissima mortalium portio,
vt columnæ eius aureæ fierent.
Certârunt cum prodigis, maiore gloria, bonoquè,
Augusti, Mecænates, Alphonsi,
Totq; amica Musis pectora;
quorum æraria, sapientum manus fuere; dignissimæ auro habitæ;
quod orbem, animorum diuitijs implerent, ditarentquè.
Hoc laudatissimæ, in literas & literatos, profusionis genus,
secuta est liberalis NOWIEYSCII dextera;
Ostenditquè bona sua dilapidantibus,
quo in loco, honestissimum eorum naufragium subire possint;
Nempe ad lapidem Philosophicum.
Sola hæc Sapientiæ felicitas;
quod sola prodigos iustè excuset, absoluatq;;
in quam, nihil vnquam collatum est, quod non meruerit;
nihil, quod ad immortalia non transtulerit bona.
Sapientissimè virorum NOWIESKI,
Si vnquam, certè in hoc munificentiæ tuæ delectu, sapuisti.
Alij beneficia proijciunt, non collocant;
qui iudicio parum sobrij, congiaria sua, fortunæ manibus credunt.
Abortiuum hoc munificentiæ genus,
nec formam, nec vitam habet.
eligi enim mentes ad beneficia debent; si æstimari volunt.
Mentium certè eruditarum, statera ea est:
ad quam quidquid exigas, gratiæ pondus auget;
Musis enim Gratiæ domi sunt.
Vno beneficio vtrasq; iunxit, meruitq; NOWIEYSCIVS,
quamdiu literis in Orbe honos, suæ in literas gratiæ, aureã gratiarũ messem collecturus.
Quidni eam ex manipulo Iagelonico speret?
qui Academiæ Cracouiensis regium decus,
tribus prope sæculis, Musarum nutricius est;
quas electo sane cibo ali opportuit; quia regum quoq; nutriciæ fuêre.
In hoc aureo coronati manipuli fundo,
fontem suum, noua fundatione, coronauit NOWIEYSCIVS,
Pro vtraquè Laurea, Aureolam dedit.

Felix Filius,

qui coronatus à matre, matri in coronam cessit.

Felix metallum,

quod non in laquearibus Neronis, nec in aureis Darij compedib⁹,

aut in Teij aureis crepidarum clauis,

nobilitatem suam, infami Luxus ministerio fedauit ;

sed in eruditorum censum veniens,

ad optimos sui vsus, sæculum erudiuit.

Vtinam vero sapiat aliquando! rerumq; ordinē non confundat.

Marmoribus terram abscondit, auro marmora, aurum gemmis ;

idemq́; quod auidissime effodit, fodit iterum.

in phrenesim actum diceres; ita limphato luxu omnia perturbat.

Quantò facius foret,

Si tanto impendio sapere disceret ; quanto, ne desipere quidem plene didicit;

singulis ætatibus, noua deliria adinueniens ;

O Diuinum Sapientiæ magisterium !

sub qua sola, ad rerum, & vitæ ordinem proficimus ;

dudumq́; iam orbis, suum & ipse patrimonium decoxisset ;

nisi Curator hic, cœlitus illi additus, monita, & virgam censoriam objiceret.

Sub hoc felici sapientiæ magisterio,

Mens optima NOWIEYSCII, quantum profecerit;

Columna hæc aurea designat.

Sapuit equidem ;

cui operosis Musarum manibus, immortalis gloriæ moles assurrexit.

manus hæ Diuinæ sunt ; nec operi vnquam ; nisi ad heroicæ virtutis & sapientiæ monumentum, incumbunt.

Columnis olim sepulchralibus.

ne triduani operis molem excederent, modus positus.

Aureo liberalitatis NOWIEYSCIANÆ monumento,

modum, ætatemque nemo definiet ; quia perenne Musarum opus est.

Ipsa quoq́;

Artistarum Collegij Domus Minor,

Illustre Musarum domicilium, sedesque,

quantumcunque hic operæ, ore calamoque Professorum posuerit ;

Maximo affectu, minus se fecisse censebit.

Ita fiet,

vt aureo huic operi, sola immortalitas vltimam imponat manum ;

quæ sola bonis operibus, & coronides imponit,

&

CORONAS.

Sumptibus Nouodworscianis.